

C.A.P.E.S.
CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

PAIX A L'HOMME DE BIEN

Le dictateur A. Cornelius Cossus, parti faire la guerre aux Volsques et à leurs alliés, doit faire face à l'activité démagogique de M. Manlius Capitolinus, qui avait sauvé le Capitole de l'invasion gauloise (385 av. J.-C.).

Dictator exercitum in statuus tenebat, minime dubius bellum cum iis populis patres iussuros, cum maior domi exorta moles coegerit acciri Romam eum gliscente in dies seditione, quam solito magis metuendam auctor faciebat. non enim iam orationes modo M. Manli sed facta, popularia in speciem, tumultuosa eadem, qua mente fierent intuenda erant. centurionem, nobilem militaribus factis, iudicatum pecuniae cum duci uidisset, medio foro cum caterua sua accurrit et manum iniecit ; uociferatusque de superbia patrum ac crudelitate fenerorum et miseriis plebis, uirtutibus eius uiri fortunaque, 'tum uero ego' inquit 'neququam hac dextra Capitolium arcemque seruauerim, si ciuem commilitonemque meum tamquam Gallis uictoribus captum in seruitutem ac uincula duci uideam.' inde rem creditori palam populo soluit libraque et aere liberatum emitit, deos atque homines obtestantem ut M. Manlio, liberatori suo, parenti plebis Romanae, gratiam referant. acceptus extemplo in tumultuosam turbam et ipse tumultum augebat, cicatrices acceptas Ueienti Gallico aliisque deinceps bellis ostentans : se militantem, se restituentem eueros penates, multiplici iam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem usuris, obrutum fenore esse ; uidere lucem, forum, ciuium ora M. Manli opera ; omnia parentum beneficia ab illo se habere ; illi deuouere corporis uitaeque ac sanguinis quod supersit ; quodcumque sibi cum patria penatis publicis ac priuatis iuris fuerit, id cum uno homine esse. his uocibus instincta plebes cum iam unius hominis esset, addita alia commodioris ad omnia turbanda consili res. fundum in Ueienti, caput patrimonii, subiecit praeconi, 'ne quem uestrum' inquit, 'Quirites, donec quicquam in re mea supererit, iudicatum addictumue duci patiar.' id uero ita accendit animos, ut per omne fas ac nefas securi uindicem libertatis uiderentur.

TITE LIVE, *Ab urbe condita*, VI, 14